

poralibus azyma veritatis, operuit passionem Domini, agni vel vituli immolatione. Et boni levitae servaverunt mysterium fidei suae sub hoc tegmine, et tu mediocre putas, quod commissum est tibi? Primum ut alta Dei videas, quod est sapientiae: deinde ut excubias pro populo deferas, quod est justitiae: castra defendas, tabernaculumque tuearis, quod est fortitudinis: teipsum continentem ac sobrium praestes, quod est temperantiae. Haec virtutum genera principalia constituerunt etiam hi, qui foris sunt, sed communitatis superiorem ordinem quam sapientiae judicaverunt; cum sapientia fundamentum sit, justitia opus sit, quod manere non potest, nisi fundamentum habeat. Fundamentum autem Christus est¹⁾. Prima ergo fides, quae est sapientia, ut Salomon dicit, secutus patrem: Initium sapientiae, timor Domini²⁾. Et lex dicit: Diliges Dominum Deum tuum, diliges proximum tuum³⁾. Pulchrum est igitur, ut gratiam tuam atque officia in societatem humani generis conferas. Sed primum illud decorum est, ut quod habes pretiosissimum, hoc est, mentem tuam (qua nihil habes praestantius) Deo deutes. Cum solveris auctori debitum, licet ut opera tua in beneficentiam et adjumenta hominum conferas, atque opem feras necessitatibus, aut pecunia, aut officio, aut etiam quocumque munere; quod late patet in vestro ministerio: pecunia, ut subvenias: debito, ut obligatum liberet: officio, ut servanda suscipias, quae metuat amittere, qui deponenda credidit. Officium est igitur depositum servare ac reddere. Sed interdum commutatio fit, aut tempore, aut necessitate, ut non sit officium reddere quod acceperis: ut si quis contra patriam, opem barbaris ferens, pecuniam apertus hostis reposit: aut si cui reddas, cum adsit qui extorqueat, si furenti restituas, cum servare non queat, si insaniēti gladium depositum non neges, quo se ille interimat, nonne

1) 1 Cor. 3. 2) Prov. 9. Ps. 110. 3) Deut. 6.